

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Buch XXII

Livius, Titus

Berlin, 1905

Perioche

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2052)

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI XXII PERIOCHA.

Hannibal per continuas vigilias in paludibus oculo amisso in Etruriam venit; per quas paludes quatruiduo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quae tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus ad Thrasymennum lacum cum exercitu caesus est. sex milia, quae eruperant, fide ab Adherbale data perfidia Hannibalis vincta sunt. cum ad nuntium cladis Romae luctus esset, duae matres ex insperato receptis filiis gaudio mortuae sunt. ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. cum deinde Q. Fabius Maximus dictator adversus Hannibalem missus nollet acie cum eo configere, ne contra ferocem tot victoriis hostem *territos* adversis proeliis milites pugnae committeret, et opponendo se tantum conatus Hannibalis impediret, M. Minucius magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tamquam segnem et timidum effecit, ut populi iussu aequaretur ei cum dictatore imperium; divisoque exercitu cum iniquo loco confixisset et in magno discrimine legiones eius essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo [discrimine] liberatus est. quo beneficio victus castra cum eo iunxit et patrem eum salutavit idemque facere milites iussit. Hannibal, vastata Campania inter Casilinum oppidum et Calliculam montem a Fabiaclusus, sarmentis ad cornua boum alligatis et incensis praesidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit et sic transgressus est saltum. idemque Fabi Maximi dictatoris, cum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tamquam proditorem suspectum faceret. Aemilio deinde Paulo et Terentio Varrone consulibus [et] ducibus cum magna clade adversus Hannibalem ad Cannas pugnatum est, caesaque eo proelio Romanorum $\overline{\text{XLV}}$ cum Paulo consule et senatoribus XC et consularibus aut praetoris aut aedilicis XXX , post quae cum a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui Africanus postea vocatus est, stricto supra capita deliberantium ferro iuravit pro hoste se habiturum eum, qui in verba sua non iurasset, effecitque, ut omnes non relictum iri a se Italiam iure iurando adstringerentur. propter paucitatem militum $\overline{\text{VIII}}$ servorum armata sunt. captivi, cum potestas esset redimendi, redempti non sunt. praeterea trepidationem urbis et luctum et res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia et Florentia virgines Vestales incesti damnatae sunt. Varroni obviam itum et gratiae actae, quod de re publica non desperasset.

Abweichungen vom Text der Jahnschen Ausgabe
(Lipsiae MDCCCLIII).

12. *territos* hinzugefügt nach Ald. (doch hier *territum* . . . *militem*). — 12. *pugnae*] nach jüng. Hdschr.; Jahn mit BN: *pugnare*. — 16. *magno*] N; *maximo* Jahn. — 17. *discrimine* getilgt nach Wfl. — 25. *et* getilgt nach Mg. — 25. *magna*] N; *maxima* Jahn. — 30. *supra*] N; *super* Jahn. — 31. *pro hoste se*] N; *se pro hoste* Jahn. — 36. *Opimia* . . . *desperasset* hält Wfl. für unecht. — 36. *virgines Vestales*] N; *Vestales virgines* Jahn.